

secundum carnem Dei matrem existere: intellexit tamen divus Anselmus, qui (*lib. de excell. Virg. c. 2*) sapienter dixit: *Hoc solum de sancta Virgine praedictum, quod Dei Mater est, caecedit omnem altitudinem, quae post Deum dicitur, vel cogitari potest. Quare cum d. Augustinus (tract. 10. in Ioan.) in persona Christi dicit: Mater mea, quam appellastis felicem, inde felicitas, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: non negat, felicem fuisse ex maternitate, sed praefert felicitatem, quam habuit ex custodia verbi divini: itaque clare constat ex alio loco eiusdem d. Augustini (*lib. de sanct. Virg. cap. 3*) dum ait: *Beatorum fuit Maria percipendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi: ecce comparat illa duo, et supponens Virginem beatam esse ex primo, affirmat, beatorem ex secundo.**

Atque ex his omnibus infero, tantum abesse, ut Christus Dominus laudem illam matri suae delatam, *Beatus venter qui te portavit*, abiecitse aut refutasse voluerit, ut potius illum admittens, eandem perfecterit, et confirmaverit, subungens aliam potiore rationem, per quam Virgo beata eral praedicanda; nempe quia audivit verbum Dei, et custodierat illud: ipsi enim praecipue dixit David paler eius (*Psal. 44*): *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam. Inclina certe, cum angelo ad se destinato assensum praebuit, dicens (Luc. 1): Fiat mihi secundum verbum tuum. Deinceps etiam tam sollicito Verbum Dei custodiebat, ut d. Luc. (*cap. 1*) de illa dicat. *Conservabat omnia verba haec, confrens in corde suo. Conservavit in ventre memoriae (Ps. 16): De absconditis tuis adimpletus est venter meus. Conservavit in ventre cordis (Cant. 5): Ad tactum eius intumuit venter meus. Conservavit in ventre mentis suae (Ezech. 3): Fili hominis, venter tuus comedit, et viscera tua implebuntur lumine isto. Conservavit in ventre appetitus sensitivi (Psal. 43): *Conglutinatus est in terra venter noster, excepto tamen b. Mariae, quae caruit peccati fomite. Conservavit in ventre gratiae, ut d. Gregorius utar phrasi, qui exponens illud lob (c. 38): De eius utero egressa est glacies, inquit: Quid enim in utero, nisi gratiae sinus accipitur? Cum ergo beata Virgo non solum Verbum incarnatum utero corporis custodierit, sed verbum praedicatum utero cordis sui diligenter conservaverit, felix, et beata est ex primo; felicior tamen, et beator est ex secundo. Unde Beda (*in comm. hui. loc.*) ait: *Eadem Dei genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beator, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna: quibus consonant verba d. August. (*lib. de san. Virg. c. 3*) dum ait: *Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi prius Christum corde, quam carne gestasset. Quare illis verbi generalibus: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud; uberius multo affirmavit Christus, matrem suam esse beatam, quam mulier illa verbis illis peculiaribus: Beatus venter, etc. nam Christi Domini verbis laudata est eius anima, verbis autem illius mulieris commendatum est eius cor-*****

pus: illa quidem sermone suo extulit corpora concipiendi, et lactandi munera; Christus autem spiritualia liberi arbitrii, coelesti gratia perfusi, officia, in credendo, et amando Deum commendavit; quae verbi divini custodia complectitur.

Deinde cum Christus Dominus respondit illi mulieri: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, videtur mihi quoddam consolationis genus exhibere ei voluisse in praemium; quod aliis omnibus, qui aderant, cum blasphemantibus, ipsa sola in laudes eius prorupisset. Consolatio autem haec fuit: Si tanti facis ventrem, qui me portavit, ut beatum illum voces, ne desperes, appellationem beatae te consequi posse: nam si verbum Dei audiveris, et illud custodieris, beata quoque lu eris. Vel dicamus aliter: Tu matrem, et gestatricem Verbi praedicas beatam, in illa Deum laudas, et me simul honoras: quod aulem de matre affirmas, equidem non negaverim, quin eam etiam beatam esse confirmo; nolim autem, ut quisquam putet, illam solum beatitudinis participem esse, sed generatim hoc dixerim, iustos et beatos etiam omnes posse censer, quicumque idem illud verbum, quod a me praedicatur, corde sicut illa, susceperint, atque opere fideliter adimpleverint. Itaque Christus Dominus non negavit, Virginem fuisse beatam, ex eo, quod ventre suo illum concepisset, sed ex hoc occasione accepit, Verbum Dei, quod praedicabat, commendandi, quod beatores homines, quam ventrem, et ubera posset facere, nam et ipsa mater sua beator erat, quod mente, quam quod ventre Christum concepisset. Hoc autem genus beatitudinis omnes poterant ex divino auxilio obtinere: beatitudo enim, et felicitas gestandi in ventre Christum Dominum uni soli Mariae data erat, nec alteri unquam communicanda; beatitudo autem audiendi, et custodiendi verbum Dei, omnibus poterat esse communis. Falluntur igitur omnes haeretici, dum ex voce Christi Domini, *Quinimo*, perperam intellecta, tot, ac tantas turbas excitant, ut Dei Genitricis honorem obscurent; cui sit cum Filio eius honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA XIV.

*Christus Dominus verbis illis: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, humanas laudes longe abiiciendos esse nos docet.*

Non desunt graves huius loci interpretes, qui putarint, Christum Dominum propterea dicitur illi verbis secundum speciem respondisse mulieri se et matrem suam laudandi, ut tanquam perfectionis Evangelicae archimagister, humanas laudes contemnendas significaret, nec de accipienda populari aera christiana homini quidquam curandum esse doceret. Quod genus argumenti tanto libentius pertractandum suscipio, quanto et ad vanae gloriae pestem expiendam utilius, et omnibus statibus loci vilius genus familiaris esse iudico. Etenim

illud singulare in vanae laudis, et humanae gloriae appetentia non semel observavi, quod, licet non omnia vitia omnium corda subintrent quaedam enim sunt familiaria divitiibus, alia sapientibus, alia principibus, alia subditis; humanae tamen gloriae appetitus, instar passionum entis, ut philosophi loquuntur, quae omnia transcendunt, omnium pulsat animos, et instar universalis pestis, undique grassatur, et per omnes serpit, ut cancer: ad quod alludens Socrates, ut auctor est Stobaeus (*serm. 31*), vanae laudis appetitus morbum in hunc modum pulchre descripsit: *Si quis in theatro suberet coarctos solos surgere, illi soli surgerent; similiter, si fabros ferrarios, textores, aut alios generatim: si vero prudentes, aut iustos iubeat surgere, hic omnes illico consurgunt, quia omnes tales videri volunt. Appetitum hunc vanae gloriae in divitiibus frequenter dominari quis ignorat? Paulo dicente (Timoth. 6): *Divitiibus huius mundi praecipue non superbe sapere. Sapientes et literis conspicuos hoc eodem appetitu saepe intumescere, idem d. Paulus testatur dicens (1. Cor. 8): Scientia inflat. Iustos etiam, et Sanctos hac eadem passione crebro agitari testatur d. Thomas (2. 2. quaest. 123. art. 3), dum ait: *Cum alia vitia locum habeant in servis diaboli, inanis gloria locum habet in servis Christi; haec ille. Hi enim non semel propriis suis operibus humanam laudem accupantur, quos in hunc mo dum (c. 58) Isaias increpat: Numquid tale, inquit Dominus, est ieiunium, quod elegit per diem affligere animam suam? nunquid contorquere, quasi circulum caput suum? ubi Originalium Hebraeorum legit: Numquid contorquere, quasi hamum collum suum? Quibus verbis non obscure significat, quod sicut piscatores hamo utuntur ad capiendos pisces, sic multi, qui spirituales haberi volunt, dum ieiunant, orant, vel aliis bonis operibus vacant, quasi hamum ad collum contorquunt ad vanas hominum laudes captandas: hi sane oleum et operam perdunt, et mercedem aeternam, quam aeternum gloriae pondus vocavit Apostolus, pro inanis gloriae mercede, quae instar fumi, nullius prorsus ponderis est, insipienter, ac infelicer commutant. Atque hoc facit, quod cum olim recreandi animi gratia Imper. Nero piscaretur, hamus vero, quo pisces capere tentabat, cum non ferreus, sed aureus esset; videns hoc Romanus quidam ei irrisit: *Ut quid, inquit, quaevo perditio haec? piscis saepe oboli pretium non excedit, et frequenter secum in profundum hamum trahit, qui centuplum maioris valoris erat. Opera in charitate facta aurea videntur sunt, utpote charitatis auro decorata; haec tamen si omnino propter vanam gloriam fiunt, pereunt, solumque ventum vanae gloriae in praemium obtinent: ut quid ergo perditio haec? Finge modo, agricolam toto anni decursu terram colentem, arantem, seminantem, rigantem, expurgantem, metentem, triturantem, ac tandem magno labore triticum in horrea indudentem; si postea cum tritico uti oportet, a gurgulione devastatum illud reperiret, infelicem se proculdubio exclamaret, et frustra tot expensas fecisse doleret. Non dissimiliter, qui per anni circulum seminavit elemosynas,****

orationes, ac pia alia opera, ac propterea putasset, per multa bona opera in aeterna patriae horrea se indixisse, ad Dei tamen iudicium vocatus, videat omnia illa vanitatis gurgulione omnino perperda, merito se infelicem exclamabit, et dicit: *Ut quid perditio illa? frustra quae dolebit, se tot expensas inaniter fecisse. Sanctus Fulgentius (*lib. Myserol.*) sic hieroglyphice vanam gloriam descripsit. Iuvenem quendam depinxit facie pulchrum, et reti indutum: iuvenem, quia vanae gloria a primis parentibus usque ad nos perdurans, nunquam emarcuit, imo quotidie efflorescit, et juvenescit: pulchrum facie, quia vanae gloriae vitio stimulatus, pulchra sua secundum faciem ab omnibus videri cupit: reti tandem indutum, quia vani hominis illa praecipue cura et sollicitudo est, ut ubique rete expandat ad humanas laudes capiendas: et quidem cum illa sint instrumenta ad venandum, apposite sanctus Fulgentius in ea sua vanae gloriae descriptione reti usus est, quia hoc venandi instrumentum commune est ad capiendos ex aqua pisces, ex terra quadrupedia, ex aere volucres, quae aperte significavit, vanae gloriae stimulis agitatum ad omnia ubicunque potest quidpiam vanae laudis accupari, rete suum caute, et simulate extendere, ut periti solent ad capiendam animalia praestare valentes.*

Praeterea illud etiam valde singulare est in hoc vitii genere, quod cum omnia alia vitia nonnisi a vitiosis, et a materia vitiosa generentur, foveantur, perficiantur; olium invitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad prodigalitem, prodigalitas ad rapinas, et furta, furtum ad iniuriam, iniuria ad malevolentiam: quae omnia, vel generant vicissim, vel generantur, vel fovent mutuo, vel foventur: sed eadem omnia virtutibus extinguuntur, et corriguntur: sola superbia ex ipsius virtutibus nascitur, nonnisi bonis insidiatur, ex pietate ortum, et incrementum capit: quemadmodum enim ignis sulphureus aqua injecta roboratur, ipsa aqua materiam ei, et alimentum praebet, quae tamen ceteros ignes solet extinguere: sic superbia, crescente virtute, et virtute praecclare gestis apparentibus, magis inflammatur, illis, quasi materia utitur, quae cetera vitia solent perimere. Iam vero cetera vitia singularia singulas perdunt virtutes, avaritia liberalitatem, libido castitatem, gula temperantiam, iracundia benevolentiam; at una superbia omnes perdit, omnia bona tollit, omnia praecclare gesta evacuat, mercede spoliata, Deo reddit exosa, ut in ieiuniis, ac decimarum solutione illius Pharisaei appareret. Edidisset Eleazarum praeclearum facinus, occiso elephante, nisi illato imperite vulnere ab eodem etiam fuisset miser interfectus: quoties aut peccato resistimus, aut virtutem operamur, quasi elephantem occidimus, vel in mundum, vel diabolum, vel carnem; sed nisi a blandiente propriae laudis memoria caveamus, ab eodem bono opere imperite occidemur. Deinde cetera peccata saltem cum aetate languescunt, et vincti se tandem patiuntur: libidinem aetas extinguit, odium, et malevolentiam redintegrata amicitia absumit, avaritiam inducta liberalitas profici-



gat, gulam, ebrietatem parsimonia reprimat, solius superbiae tanta est pertinacia, ut aliis vitibus omnibus profigatis, sola audeat in campo manere, virtutisque pugnam per totam aetatem inferre. Quemadmodum enim umbra corpus, nisi undequaque corpus illustratur, tum in Zenith medio sol stat, semper consequitur, vel ante, vel ad dexteram, vel ad sinistram, sic superbia virtutem semper comitatur, et ex aliquo latere insidiat, nisi quis ita luce virtutis effluat, ut vitiorum tenebris, seu umbris nihil loci relinquat, totusque et undique catus ab omni parte sibi prospiciat.

Porro inanis gloriae fugiendae causae sancti Patres non movent, ut opera nostra abscondamus, ne videntium hominum oculi illa inficiant, aspectu suo ad vanam gloriam nos excitantes. Unde divus Ioannes Chrysostomus (*hom. 2. in Ioann.*): *Homines, inquit, nihil nobis utilitatis offerre possunt, sed tantum inspicere quae facinus, ac insipientio loedere, laboremque nostrum inanem reddere. (Exod. 2) videns Moysis mater eum elegantem, abscondit, sic tu si elegantem, pulchrumque habes filium, id est, si quid, quod laudem mereatur, a Deo accepisti, absconde, ne hominum oculis fascinetur, ac per inanem gloriam corrumpantur. Origenes (ho. 2. in Eccl.) refert: *Aut Scriptura, quod de trihu Levi quaedam genuit masculum, et videns infantem esse elegantem, occultavit eum mensibus tribus; unde si non propterea nobis praecipitur, ne bonos actus in pulvere geramus, ne iustitiam nostram coram hominibus faciamus, sed ut clauso ostio oremus Patrem in occulto, et quod facit dextera, nostra nesciat sinistra, nisi enim in occulto fuerit, diripiatur ab Aegyptiis, invadatur ab hostibus, in flumen tactabitur, et fluctibus submergetur. Ergo, si factam eleemosynam, quia opus Dei est, masculum genero; sed si ita faciam, ut hominibus innotescat, et ab hominibus laudem quaeram, et non occultavero, rapta est ab Aegyptiis, et in flumen demersa; haec Origenes. (Ad Coloss. cap. 5) Graeco vocabulo: *Ophthalmodulia* utitur divus Paulus, quod huic rei, de qua sermo est, maxime inservit: significat enim oculorum servitutem: ait ergo d. Paulus: *Non ad oculum servientes: et si verbum verbo reddere velis, non in oculorum servilitibus. Quod autem ille servis, hoc cunctis hominibus dici potest. Non in ophthalmodulia, id est, non in oculorum servitute vitam traducalis, ne sitis quaeso oculorum servi, ne hominum oculis, qui omnia fascinant, servialis: quo certe vitio laborant plerique: quorsum enim pretiosae, homicinaeque vestes gemmis atqueque distinetae? quorsum magnifici prandiorum apparatus? quorsum equorum, argenteo atqueque radiantibus phalerae? quorsum famulorum ingens caterva? quorsum aurea peristomata? multorumque nummorum aulea? nonne ut hominum oculis serviat? Haec vero oculorum servitus, quam sit gravis, Origenes (in comment. epistol. ad Roman. hom. 17) his verbis ostendit: *Elegerim potius innumerorum barbarorum servitutum, quam semel unius inanis gloriae: neque enim captivus illi suis talia praecipiant, qualia subditis suis ista iubendo mandat: omnium, inquit, servus esto, animam contemnit, virtutem ne-****

*gligito, libertatem videto. Item vanae gloriae cupidus similis est illis, qui tempestates ferunt, semper timens innumerisque Dominos observans, qui vera extra illam est tyrannidem. recte comparatur iis, qui in porta constituti, integra tamen libertate potantur. Alias vero non item, sed quam multis est cogitatus, tam multos habet dominos omnibus coactus. Fugiamus ergo ophthalmoduliam, oculorumque humanorum, servitutem in oculos Dei oculos nostros coniciamus, et in illius conspectu, theatroque perpetuo versemur. Duo sunt theatra: alterum sutsum amplissimum, ubi Rex regum, hoc est, Deus nobilissimis angelis stipatus, ad spectandum sedet; alterum deorsum angustissimum, ubi viles humani, et peccatores turpissimi nulli adstant. Unde divus Paulus (1. Corinth. 4) dixit: *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus; magna igitur inania est, amplissimum Dei, angulorumque theatrum repudiare, et in paucorum, eorumque vilium hominum theatro versari, illorumque oculis magno labore inservire: qui hoc facit, eum d. Ioannes Chrysostomus (homil. 17. in epist. 2. ad Rom.) his verbis increpat: *Servus ad oculos hori sui respicit, mercenarius operator ad operis sui dominum praemia illi daturum, discipulus ad praeceptorem: tu vero omnino contrarium facis, Deum qui remunerat, Dominumque relinques, ad conservos respicis: etiamsi scias, quod Deus recte factorum tuorum etiam in futurum recordetur; nec tamen cum sis vilis, ad praesens tantum respicis. Et cum habes in coelo theatrum constitutum, in terra tamen spectatores tibi colligis: athleta quidem ubi certat, ibi et probari cupit, tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari quaeris? et quidnam poterit hac amentia petus fieri? haec d. Ioannes Chrysostomus.***

Verum dicat quis, si fugere debemus hominum oculos, ne opera nostra videntis, illa aspectu suo inficiant, oportebit adire deserta loca, in quibus nulli apparent hominum oculi: minime quidem, sed quaerenda deserta voluntas ab omni inanis gloriae, quam oculi hominum pariunt, cupiditate. Si in oculis omnium hominum praeclarum opus gesseris, non hominum curans oculos, sed Dei, abscondite, et sinistra ignorante, geres; si vero nullo cerente homine feceris, videri tamen cupiens, hominumque laudes captans, coram hominibus sinistra sciente facies. Auctor Imperfecti (in cap. 6. Matth.) ait: *Qui non ideo facit, ut ab hominibus videatur, et si coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus fecisse. Chrysologus (serm. 9): Deus arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famam, vota culpata, non loca docuit misericordiae auctor, ut misericordia non terrae sit nota, sed coelo, non hominibus insinuata, sed Deo. Theophylactus etiam (in cap. 6. Matth.): *Licet coram hominibus eleemosynam facias, non tamen ideo facias, ut videaris ab hominibus, non condemnaris: sin vanae gloriae scopum spectaveris, etiamsi in penetrabilibus promptuarii tua facias, condemnaris: voluntatem enim, vel coronat, vel punit Deus; haec ille. Atque hic facit, quod Christus Dominus ad fugiendam inanem homi-**

num gloriam, monuit, ad eleemosynam elargiendam, non esse tuba canendam (Matth. 6): *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere. Tubis utebantur olim Iudaei ad convocandam plebem, sicut et nos utimur cymbalis. Unde Dominus (Num. 10) Moysi dixit: *Fac tibi duas tubas argenteas, quibus convocare possis multitudinem. Nosler Lyranus, cardinalis Caietanus, et episcopus Abulensis, Iansenius, et alii putant, tunc homines humanae gloriae cupidos solitos fuisse tuba pauperes convocare; mihi tamen d. Ioannis Chrysostomi sententia probatur asserentis, tropum esse, et figuratum loquendi modum continere verba illa: *Noli tuba canere ante te: quia perinde est, ac si dixisset: noli arroganter eleemosynam tuam ostentare: verba d. Chrysostomi haec sunt: *Non quia hypocritae eleemosynam ad signum erogant tubarum, sed maximam in eis volens notare ostentationis insaniam, translatione verborum, vitii redundantiam publicavit. Eleemosyna, et in universum omnia opera insidiatricem habent gloriam inanem: alia vitia in terra nobis insidiantur, haec vero in ipso coelo, ut d. Basilii loquitur; quia in ipsismet virtutibus de coelo delapsis clare ostendit: etenim (in constitut. cap. 11) inquit: *Callida insidiatrix vana gloria virtutes, ramis in coelum usque licet expansis, adornatas profugare, ac deturbare contendit. Laetus sub viridi hedera sedebat Ionas (cap. 4); ea vero a verme subito corrosa exaruit: virensit, foretque opus bonum, quamdiu a verme inanis gloriae, ac superbiae non corroditur; si tamen ab inani gloria corrodatur, exarescit. Unde d. Basilii eleganter (eod. lib. cap. 11) dixit: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depraedatricem, eandemque mellis illius fraudis suae veneno coloratricem, et mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem: quibus consonant verba divi Ioannis Chrysostomi (hom. 72. in cap. 22. Matth.), dum ait: *Haec est tineae coelestis thesauri, hic est fur, qui regna aeterna furatur, qui immarcescibiles a nobis divitias auferit, qui tanquam contagiosus morbus omnia corrumpit. Qui polium arcticum intuentes navigant, buccinae figuram intulerunt; qui vero alterum cerentes polium fluctus sulcant, intulerunt figuram crucis: etenim in polo arctico, stellae sunt in speciem buccinae; in polo vero antarctico in formam dispositae crucis; ad eundem modum ex his, qui mare magnum huius saeculi navigant, quidam vanae laudis cupidi, buccinas, id est, placidas hominum laudes, inanemque gloriam aspiciunt; alii vero humanae hanc gloriam despicientes, laudum buccina, seu tuba contempta, in crucem coniciunt oculos, cum divo Paulo (ad Gal. 6) dicentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Quare si, cum eleemosynis, icunius, et aliis bonis operibus vacamus, volumus ante nos tuba canere, haec non debet esse tuba ostentationis, sed tuba extremi iudicii, qua si cecineris ante te sonitu********

CARTIAGENA de B. M. F. — Vol. III.

eius terribili, humanam deterrebit gloriam, ac humanae laudes longe fugabis. Si vero maledictis humanae laudis tuba canere, contigit tibi illud (Job 13): *Congregatio hypocritae sterilis. Etenim humanae laudis cupidus gregat varia bona opera; sed eorum sterilis haec est congregatio, quia per haec, quae vane agit, fructum aeternae retributionis non recipit, in eoque palam verificatur illud (Osee 8): *Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam, quod, etsi fecerit, alieni comedent eam: bene ait, culmus stans, non est in eo germen, quia sicut vitis racemi, si in stamine non altolluntur, in terram iacent, et fablime non patrescent propter humiditatem terrae; sic bona opera, si recta intentione in coelum non sublevantur, in terra iacent, ac patrescent. Bene etiam ait, germen non faciet farinam, quia humanam laudem appetentis opera sunt inefocanda, nihil aliud producentes quam humanae gloriae paleas. Bene tandem ait, quod, etsi fecerit, alieni comedent eam: quia, ut recte dixit d. Gregorius (l. 12. Moral. cap. 24): *Cum fecerit farinam, hanc alieni comedunt, quia, et cum bona opera hypocritae ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur: qui enim per haec placere Deo non appellant, nequamquam agri Dominum, sed alieni pascunt: haec ille. Christus Dominus praevidentium dominantem in nos inanis laudis appetitum dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et gloriosentur Patrem vestrum; non dixit, ut glorificentur Deo non nostrae lucis sumpsit debet esse, non ut nomen nostrum celebretur, sed ut divinum illustris fiat, iuxta illud (Ps. 113): *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Caete, ait Dominus (Marc. c. 8), a sermone Pharisaeorum. Vis Pharisaeorum videre fermentum (Matth. 23): *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus; hoc multi sunt infecti vitio.******

A Magno Alexandro, narrat Plutarcus (in *lib. de profectu morum*), nuntium summa laetitia gestientem, dexterae protensa accipientem, his verbis exceptum: *Quid mihi, vir bone nunciabis aliud, quam Homerum revixisse? nihil videlicet, ut ait idem auctor, sibi deesse his verbis contristatus est, hoc enim unum cupiebat, Homerum posterum principem in cupiebat, Homerum posterum principem vitam revocari, ut res, quae gesserat, principum carne celebrata, Homericoque penicillo depicta, ab omnibus hominibus cognoscerentur: scilicet fermento fervebat Alexandri vitiosa. Admirat autem superbiam, in inanemque gloriam, nam quemadmodum fermentum massam inflat, sic superbia, inanisque gloria inflat hominem. Unde Philo propterea putat, ab altari repulsum in libro de oblationibus omnibus, quia tubis legislatorum, oblationem omnem sine fermento fieri propter humiditatem, quam efficit fermentum praecipit: ne quis elargitus ad altare accedat, timidus fastus, et arrogans. Praeterea, quemadmodum fermentum, ut ait Apostolus, massam, sic inanis gloria opus, etsi praeclearum, corrumpit. Saal (1. Reg. 15) post victos Amalecitas fornem triumphalem exercisse dicitur: similem in modum, ait*



d. Gregorius (in *comm. 1. lib. Reg.*), arrogantem doctorem, et inani gloria inflatum, post vieta concionibus aliqua auditorum vitia, veluti fornicem triumphalem sibi erigere, dum superbit. Arrogantes, inquit, doctores, dum magna dicunt, se in sublime aestimationis erigunt, et quales se intus aspiciunt, per iactantiam, et ostentationem, foris innotescunt. Cumque et illud, quod per se alii proficiunt, ad favorem propriae laudis trahunt, quid aliud videntur agere, nisi altum victoriae signum in signi titulo demonstrare? In eos, qui vanam sectantur gloriam, illud quadrat (*Psal. 105*): *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum; mutant enim gloriam veram ac coelestem gloriam quoque Dei, ad quam sua opera dirigere debuerant, in vitulum, qui foeno pascitur; hoc est, ut Richardus Victorinus moraliter interpretatur, in appetitum inanis gloriae, et popularis aerae, quae foenum est, quod hodie viget, et eras in cibarium mittitur. Vitulus, sive potius taurus cornupeta, est inanis appetitus gloriae, cornu petit ille, caveto: petit, inquam, cornu, et alios, et illum, a quo pascitur. Richelius (lib. 1. de erudit. intern. homin. part. 1. cap. 4): Cum, inquit, scriptum sit (Isa. 40): Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri, quid aliud erat vitulus foenum comedens, nisi humani favoris appetitus, carnalem et temporalem gloriam ambiens? Foeno pascitur popularis aerae captator, sive potius aere, et aura: at solidam qui quaerit gloriam, is divinis, ac coelestibus fructur pascitur: fugiendo gloria quaeritur; si vanam atque inanem fugiamus, solidam ac veram consequemur. Non ergo impetiamur, fratres charissimi, inani gloria cupidi, sed gloriam Dei in omnibus sincere quaeramus.* Refert Ludovicus Granatensis (tom. 1. de temp.), quod Thales Milesius iam senex admirandam quandam rationem de coelo commentus, eandem Mandritae philosopho Cirense communicavit, qui cum hoc nomine magnas gratias ageret, rogaretque, quam mercedem pro tanto documento vellet: satis, inquit Thales, mihi erit, o Mandrita, si id, quod a me didicisti, cum proferre volueris, tibi non adscriperis: sed me eius repertorem praedicaaveris. Quanto magis Deus hoc summo iure a nobis flagitat, ut omnem virtutem, scientiam, prudentiam, ac fortitudinem, si quam habemus, non nobis, sed illi acceptam referamus, quod nos, sed quanto magis summa ratio docet, et Theologos, ac Christianos, ut omnes ingenue agnoscant, per quos profecerint.

Sed perge quaeso pleraque alia in idem argumenti genus edisserere. Basiliscus, animal venenatum, et hominis hostis capitalis, si primus te videt, interfecit certissime: si a te prius conspiciatur, facile superatur. Sic vana gloria si a te primum expenditur, facili negotio repellitur; si incautum te occupet, opprimat: quod qualiter faciat, sapienter describit s. Basiliscus dicens: *Inanis gloria spirituum operum est latro, blandus animarum hostis, tinea virtutum, sub mellis illitu fraudis suae venena propinat, et poculum mortiferum porrigit: quos captivos tenet, eos ad omne nefas facile im-*

*pellit, ut id faciant, quod admirationi esse amaderunt, quantuncumque id turpe, et inhonestum sit: sic non modo honestas omnes actiones subvertit, sed et ad improbas iter facit; haec ille. Refert Plinius, quod aquilae pulli, quae in alto semper nidificat, serpens, qui vocatur parias, insidiatur, qui videns se propter altitudinem ad illos accedere non posse, trahit ad se ventum, et venenum emittit, ut aer infectus per venenum, ad pullos deductus, illos occidat; sed aquila ex insuetudine naturali, ut huic malo occurrat, nido suo inaedificat lapidem, qui vocatur gagates, et semper in illa parte, quae est contra ventum, illum ponit: ista autem lapis venenum expellit, ne ad pullos accedat. Simili industria, et cautela debemus nos pullos nostros, id est, bona opera, quae per Dei gratiam in sublimi virtutum exercitio operamur, tueri, ne a vento superbiae diaboli excitato, pereant, et dissolvantur, Christum lapidem, seu Dei gloriam inter opera nostra, et ventum vanae gloriae ponere satagemus. Eleganter dicebat s. Arsenius: *Qui bona quidem opera facit, sed ut studeat hominibus placere, similis est perpetuo haurienti aquam, et in canalem perforatam continuo infundenti: et certe sicut domestissima res esse, pretiosis gemmis, atque lapillis ruinosi alienius parietis rimulas implere atque fulcire, sic pro virtute humanos favores desiderare, et rem coelo dignam villi pretio venale exponere. Porro, sicut ineptus ille mercator esset, qui merces optimas parvo praesenti pretio venderet, certo sciens, si ad aliquod dies expectaret, centuplo plus se accepturum; sic inepti illi operatores sunt, qui bonas operationes praesenti hominum laude, eaque levi, et momentanea vendunt, cum certo sciant, post hanc vitam futuram, ut amplissimam mercedem accipiant, si tantisper expectent: et quum vix usquam tam ineptus mercator reperitur, in nepos istos operatores ubique locorum invenies.**

Quid plura? qui statim virtutem suam ostentare contendunt, sunt tanquam amygdalus, quae florem cito emittit, et flante vento, celesiter amittit; qui autem occultant, morum imitantur, quae cum sero emittat flores, nullo unquam vento aut gelu offendantur. Natura providit, ut non esset in manu, et potestate mulierum parere: nam si quando vellet, ipsae parerent, nulla monstra utique mitterent; et aliae spatio unius mensis, aliae duorum, aut trium parerent: sic opus est labore, et manu Dei obstetricante, ut virtus, sicut foetus, in ventre abscondatur, et laboret in hac vita, donec tempus parienti adveniat, de quo Christus Dominus dixit (*Ioan. 16*): *Mulier, dum parit, tristitia habet: cum autem peperit, non meminit pressurae propter gaudium; sic vos contristabimini, in multa patientia bonum operantes, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quod si ante tempus prodire, et parere virtus vult, et hic gloriam quaerere, ut foetus immaturus, variis casibus extinguitur, vel superbia sua, vel invidia, aut adulatione aliena. Animalia apud Ezechielem habebant quatuor alas, quarum duae erant erectae: illae sunt

opera virtutum sursum tendentia; aliis daubus alis legebant corpora sua: istae sunt timor, et humilitas, quibus virtutum acies, et substantia a vana laude teguntur. Qui iter longum faciunt, solent secum duas crumenas ferre, quarum altera motem auream includunt, haec semper ducunt absconditam, altera minoris valoris, et vulgare asservant, et hanc in hospitibus manifestant hospitibus, ex ea symbolum solventes: alteram occultant, ne latronibus insidiandi ansam praebant. Sic abscondita debet esse virtus, ut, sicut Christus novit, nesciat sinistra manus, quid faciat dextera, id est, ut exponit Iohannes Chrysostomus, nesciat voluntas carnis, quae Deo semper est contraria, quid faciat voluntas animae, et superioris rationis Deo subdita. Certe, ut thesaurus absconditus tutor a latronibus est, et virgo domi clausa facilius custodita servat, quam ea, quae vagatur; sic virtus occultata a superbia, a diaboli laqueis tutor est: et quemadmodum fructus arborum, quae iuxta viam publicam crescunt, rarissime maturoscunt, quia a transibuntibus praepostera acie latente comedenti, ante maturitatem colliguntur; sic virtutum opera quae in hominum conspectu sunt, vel ut ab hominibus spectentur, ostentantur, nunquam ad veram soliditatem perveniunt, quia statim humano favore intumescere operantem faciunt, ideoque eum distentum ad progrediendum in virtute, vel ad alia virtutum opera capessenda prorsus inidoneum reddunt. Postremo sicut gallina, quae ovo deposito statim cantilat, causam praebet cur statim collectis ovibus, nunquam pullos pariat, sic qui suas virtutes statim praedicant, aut praedicari cupiunt, id agunt, ne ullos virtutum suarum fructus amplius producant; haec sapienter d. Iohannes Chrysostomus. Sic aurum, vesterque pretiosum cum in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus; si vero ex recondamus, atque occultemus domi, in tuto cuncta servabimus. Sic, si divitias virtutum in memoria quasi venales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, et dolosum invitamus ad furtum; sin vero nemo alter id scierit, nisi ille quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa quaeque consistent. Certus enim recte factorem thesaurus oblivio. Unde Apostolus (*Philipp. 3*): *Ex qua sunt retro, obliviscens: memoria quippe praeteritarum virtutum impediunt est sequentium, dum ex praeteritis ita sibi quisque inaniter placet, ut nisi sibi ad cumulum addi, aut non necesse putet, aut negligat; ita cum inani gloria crescere, aut inlustrari virtus non potest.*

Verum quidem est, Quod virtus laudata crescit, quando vera virtus et solida est, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, et iacturam totius in se recondit thesauri infeliciter facit; ita qui post multos labores, ac virtutes linguam, et mentem a cupiditate laudis non temperavit, in portu naufragium patitur. Haec de causa valde apte portu superbiae vocat, Ultimum vestem, quum anima depolit, quasi in exuvendo veteri homine, extremis sit superbiae pannus.

Deinde vana haec laus, quam captare intendimus, fallacissima, et mendacissima est; si mitemque ac praestigia in oculis nostris de-

*Gloria mea haec est testimonium conscientiae meae; et iterum (1. Corinth. 2): Mihi pro minimo est ab hominibus iudicari? aut ab humano die, id est, favore, et exclamatione. Qui conscientiam suam in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi, modo nulli sunt (Eccles. 27): Sic stultus, ut luna mutatur, et crescit, et decrevit pro laudatorum arbitrio. Polyceles et statuaris duo simulacra fecit, unum ad arbitrium plebis transponens, et commutans, prout quisque accedens, atque aspiciens mutandum diceret, et ut cuiusque voluntati morem gereret, in publico opum stum effugebat; alterum vero ex arsis suae peritia domi suae fabricabat: cum utrumque in foro posuisset, et domesticum omnes admirationi haberent, publicumque omnes deriderent, utpote, in quo vix ullum membrum alterius proportioni responderet. Aliqua, inquit Polyceles, quod vituperatis, a vestra arte profectum est; quod vero suspicatis, ego meae facultate sum fabricatus. Hippomachus pugilandi magister quum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, et circumstantes multitudinem universa exclamaret, percussit eum virga, inquit: Sed tu perperam fecisti: nam si quid artificiosum praestitisses, ignari tibi non te collaudarent. Aristhenes philosophus dicens sibi cuidam: Multi te laudant. Quid enim, ait, nulli fecisti? Turpe est, christianis sacerdotibus theologos hoc non videre, quod isti Ethnici vidunt. Acute hoc in Diogene gelidissimo tempore in aquis pene congelatis iudis; cum magis multitudine hoc spectans, commiseratione hominis tangetur, superveniens Plato multitudinē dixit: Si huic homini misereri vultis, eumque hanc molestia liberare, discedite.*

Accedit ad haec omnia ex virtute laudem humanam accupari velle, per se malum esse, et superbiae specimen, suae speciem; ideoque Deo exosam, et, ut d. Iohannes Chrysostomus loquitur, *matrem gehennae: qui enim se exaltat, id est suas laudes praedicat, vel se laudare dignum, et ceteris praefendum iudicat, humiliabitur, id est, ad barathrum detrudetur. Nam ut humilitate exaltatio, de qua Christus Dominus illic loquitur, est coelestis gloria, sic superbia hominis humilitatio est inferni poena. Vitia ceteris in peccatis, ait d. Augustinus, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quae tandubiter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Quare haec vanitatem praefera, naufragium in portu esse docet d. Chrysostomus. Sic ut naves, inquit, quae multos fluctibus transit, multaque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, et iacturam totius in se recondit thesauri infeliciter facit; ita qui post multos labores, ac virtutes linguam, et mentem a cupiditate laudis non temperavit, in portu naufragium patitur. Haec de causa valde apte portu superbiae vocat, Ultimum vestem, quum anima depolit, quasi in exuvendo veteri homine, extremis sit superbiae pannus.*

Deinde vana haec laus, quam captare intendimus, fallacissima, et mendacissima est; si mitemque ac praestigia in oculis nostris de-



ceptionem parit. Quemadmodum enim imago, quanto artificiosius rem representat, fallacior est, quia tanto magis persuadet rem ipsam esse, non imaginem eius, sicut imago Bucephali ab Apelle depicta, e quodam ad hiniulum concitavit; et uvae depictae a Zeusi aves deceperunt; nec non Parasi linenum depictum Zeum decepti: sic certe humanae laudis honores quanto maiores sunt, eo maiora sunt mendacia, et deceptio maior: quia tunc magis videntur veri esse, cum alioquin falsi, et non veri sint, sed verorum tantummodo imago. Atque hinc est, quod divus Iacobus (in epistola sua capit. 4) de huiusmodi humana gloria dixit: *Umbra est, et vapor ad modicum parens*. Certe ut umbra, cuiuscunque corporis umbra sit, sive viridis, sive flavi, ipsa lamen semper nigra est, et obscura, et quaedam vacuata, et lucis privatio; sic omnis huius saeculi gloria, atque humana laus, ex quacumque rem nascatur, sive a literis, sive a virtute, sive ab aliis quibuscumque animi doliibus, non nisi umbra est, et icane quidpiam, sola fallaci opinione consistens. Et quidem, qui ex qualibet virtute, quae in illo effulget, vel ex quolibet suo opere se extollit, humanamque gloriam venari curat, persimilis mihi videtur ei, qui ita debilis cerebri, et infirmi capitis est, ut modico accepto vino facile inebrietur: quemadmodum pueri ludentes, ex foeno coronam alicui imponunt, coronatum autem irrident: sic saepe fit, ut qui te in faciem praedicant, postea clanculum subsannent: attollunt, ut deiciant, exaltant hosanna, dicentes, et mox crucifige, vociferantur.

Celerum, quando illud solum malum humanae laudis appetitus secum ferret, quod debant Deo gloriam surripit, ob hanc solam rationem vehementer huiusmodi vitium detestandum esset (Isai. cap. 24): *Gloriam meam alteri non dabo*, ait Dominus. Liberalissimus est Deus, coelum, et terram, et quidquid coeli, et terrae ambitu continetur, nobis Deus dedit, imo et sanguinem, et carnem, et merita sua; at tantus est gloriae suae zelator, ut dicat: *Gloriam meam alteri non dabo*. Hanc sibi reservavit, ut ipse supremo omnium conditori debitam. Nunc igitur attende: *Gloriam meam alteri non dabo*, ait Dominus: superbus autem dicit, eam, licet non dederis mihi, usurpabo. Vide hominis temeritatem, vide hominis superbi infidelitatem. Recte s. Bernardus (ser. 13. in Cant.) ait: *Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non caecum ex te, tamen transeunte per te nihil manibus tuis adhaerere contingat, quare audies et tunc: Euge serve bone, et fidelis, super multa te constitutum. Ioseph, cum domum, et omnia bona Domini sui sibi credita seiret, Dominum non ignoravit exceptam, non est, inquit, ex omnibus bonis Domini mei, quod non tradiderit mihi praeter te, quae uxor eius es; multiterem noster esse gloriam viri, et iniquum sibi iudicavit, vice contraria ingloriorum facere illum, qui se fecerat gloriosum. Quid ergo homo zelat gloriam suam, et Deum audet velle fraudare de sua quasi non zelantem: audi ergo, quid dicat: gloriam meam alteri non dabo; ita s. Bernardus. Quod si adeo zelat, Deus gloriam suam ut sibi honor, et gloria danda sit, quid aude gloriam usurpare?*

Ratio autem, quare Deus gloriam sibi vindicet soli, haec est: quia omnia opera bona nostra ipse, tamquam bonorum princeps, et auctor, operatur in nobis omne datum, quantumvis optimum, et *Omne donum seu bonum perfectum, de sursum est, descendens a Patre luminum*. Unde optime s. Bern. (ser. 13. in Cant.): *Quis credat parieti, si se dicat parturire radium quem suscipit per fenestram? aut si gloriatur nubes, quod genuerunt imbres? quis non irrideat, Mihi liquido constat, nec de canalibus oriri rivus oquarum, nec de labiis vel dentibus, verba prudentiae, et si sensus noster corporeus ultra non attingat. Si quae sane in sanctis digna laude, vel admiratione video, laudo Deum in sanctis suis, sive sit Heliseus, sive magnus ille Elias, mortuorum utique suscitatores: psi enim non imperio suo, sed ministerio exhibent insuetam. Deus vero in ipsis manens, ipse facit opera, qui invisibilis est, et solus mirabilis, qui facit mirabilia magna solus, nec laude calami laudabilis est pictura, aut scriptura, nec gloria labiorum sermo bonus, et nunc loquatur propheta: nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secatur in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? Ita s. Bernardus. Quamvis enim in bonis operibus concurrat libere, ipsam tamen facultatem libere operandi a Domino Deo accipit, imo et ipsam opus liberum, cum ex divina, et efficaci eius motione procedat, sine qua nihil prorsus operaretur. Reddat igitur Deo gloriam, qui operatur in eo velle, et perficere pro bona sua voluntate: nam si artificii, qui expensis alterius opus aliquod conficit, non licet stigmata propria in eo apponere, quomodo licebit tibi in operibus, quorum es artifex, gloriam quaerere, cum ad ea efficienda necessarias expensas tibi suppeditet Dominus, imo eadem illa ipse principalis efficiat? omnia enim opera operatus est in nobis Dominus; quomodo inquam tibi licebit illorum operum tibi gloriam capere? Quod si gloriam, et honorem tibi arrogaveris, et non glorificaveris Deum, Deus vindictam sumens, debitam sibi gloriam resiliat. Quare (Ezod. 14): *Glorificabor*, ait, in Pharaone, et in omni exercitu eius, quia eum, et exercitum suum in mare proiecit, et fuit Deus punitione illa glorificatus, qui non fuerat ab eo honoratus.*

Magna in Ezechiam Deus contulit beneficia, alio humanam fragilitatem (2. Paralip. 32) haec de illo verba scripta extant: *Non uicta beneficia, quae acceptat retribuit, quia eleatum est cor eius, et facta est contra eum ira, et contra Iudam, et Ierusalem respondit, ortam ex legatione regis Babyloniae. Elenim Babylonii astrologiae periti, solis illam admirandam retrogressionem observaverant, et regis Ezechiae causa tantum portentum accidisse audierant. Ea re commotus Babyloniorum potentissimus rex Merocach Baladan, legatus ad Ezechiam cum epistolis ac numeribus misit, qui tanto hoc honore elatus, thesauros omnes, et quidquid in domo, et potestate regia erat, Babylonius patefecit, divitiasque suas, et potentiam ostendit (4. Reg. 20): Non fuit, quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. An introduxerit legatos in templum,*

eiusque divitias ostentavit, dubium est. Rabbi Salomon ait apud Lyranum, ostendisse ea etiam, quae in templo summa cum reverentia occultabantur, scilicet unioinem regum, et pontificum, et tabulas testimonii. Respondemus, non esse verisimile religiosissimum regem ethiopicum in templi penetralia intromisisse, aut tabulas testimonii, quae in arca foederis erant, ostendisse. Opus vero templi, si quae non in templo, sed in acerbis templo coniunctis asservabantur, forsitan ostendit. S. magnus Dionys. Areop. (in epist. ad Polyc.) ait: *Solis admirandam retrogressionem Babylonios Ezechiae absque pugna subiecisse. Hoc (inquit) miraculum Babylonios tunc merito terruit, et absque pugna Ezechiae, ut qui Deo putaretur aequalis; ac mortalibus ceteris virtute praestare, subiecit; sed non est existimandum, regem Babylonis tributa solvissse Ezechiae: fuit haec inanis gloriae tentatio, in qua dereliquit Ezechiam Deus, ideoque victus est (2. Paral. 32) in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit enim Deus, ut tentaretur et nota fierent omnia, quae erant in corde eius. Erat autem in corde Ezechiae gloria inanis, haec nota est facta. Non privavit illud Dominus omni penitus auxilio: quod enim opus est, ne in peccatum incidamus, largitur; privavit enim auxilio maiori ob superbiam occultam, quae in corde illius erat. Caveamus ergo peccata, ne maioribus auxiliis nos privet Deus, iisque privati, tentationibus succumbamus. (Ad Philipp. 2) ait Apostolus: Cum timore, et tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, et perficere pro bona voluntate. Vide, quam reddat rationem timoris, et tremoris d. Paulus, Deus est enim qui operatur, quae dei dicat: Tunc te valde, ne impedialis opus Dei, ne obsistatis auxiliis divinis: Deus namque est, qui suis auxiliis operatur in vobis velle, et perficere. Hinc ille sanctorum timor, de quo d. Leo (serm. 8. Epiph.): Haec, inquit, sanctis causa est tremendi, ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur operum gratiae, et remaneant in infirmitate naturae, etc. Sit nobis exemplum Ezechias, desertus ope gratiae, qui remansit in infirmitate naturae, et absque maiore illo Dei auxilio tentationi succubuit.*

Tandem, angelos superbientes, et se ipso exaltantes ad ima delustravit Deus. Davidem, quia elevatum est cor eius, et iussit populum numerari, ut gloriaretur, peste per omne eius regnum grassante, affect. Chore, Dathae, et Abyron, quia seipsos exaltare voluerunt, dicens: *Illis Moyses Mulerum erigimini filii Levi, vivi in infernum descendunt*, ut legimus (Num. 26).

Ab huius humanae laudis, et vanae gloriae comparandae cura, et sollicitudine longe absesse debent viri divinae gloriae zelatores, prout antiqui Patres, tam veteris, quam novi testamenti, exemplo suo nos docuerunt. (Daniel. 2) Daniel vocatus a Nabuchodonosor, et sapientiae nomine commendatus, ut somnium eius interpretaretur, respondit omnium a se sapientiae opinionem, et laudem removens: *Est Deus in caelo revelans mysteria mihi, quodque non in*

*sapientia, quae est in me, plusquam in cunctis viventibus sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regis manifesta fieret. Sic et sanctus Iosephus. Praeterea Pharisaei Ioanem potius pro Messia agnoscere parati erant. Sanctus Ioannes Baptista, cum ei honorem illum Pharisaei detulissent, Messiae dignitate illum invitantes: Confessus est, et non negavit, et confessus est, quia non sum ego Christus. (Act. 14), cum in Lystris sanctus Paulus, et sanctus Barnabas vareserent, propter miraculum quoddam a Paulo perpetratum, utrumque adorare voluerunt, dicentes, Paulum quidem esse Mercurium, et Barnabam Iovem: quare hostias illis offerre voluerunt. Quid tunc Apostoli? Concessissis, inquit, tunicis, exierunt in turbas, clamantes, et dicentes: Viri, quid haec factis? et nos mortales sumus similes vobis homines: pondera: Concessissis tunicis clamantes, quia quod alii facere consueverunt, cum quadam magna iniuria, vel damno fuerint afflicti, uti fecisse legimus Iobum, et Iacob, et alios plures, hoc idem Apostoli tunc praesertim prae dolore, quem conceperat ob gloriam Deo debitam, sibi attributam. S. Bernardus cum multa signa, et miracula per varias Galliae partes faceret, ne sibi quid propterea plus ceteris tribuerent, anxietate maxima prospiciens, in haec verba prorupit: *Ex Scripturis didici, signa fieri, vel per perfectos, vel per factos; ego nec perfectionis mihi sum conscus, nec fictionis: nihil ergo mihi ob signa ista tribuere debitis; quandoquidem meae illa sanae magis, quam vitae nocerent ezechiae, nec ad meam fieri commendationem, sed commotionem potius, et ad fructum aliorum, et ad fovendam bonam de me opinionem. Sic videlicet in hoc sancto viro vincebat sublimitatem nominis humilitas cordis, nec tantum poterat universus mundus eum erigere, quantum seipse delicere solus, pulchra scilicet rationatione, ac magno studio inventa, sanctitatis de se opinionem a mente sua removet: nec minus laboravit, ne sanctulus videretur, cum esset sanctissimus, quam alii laborant, ut sanctissimi, et doctissimi, prudentissimi, et prudentissimi videantur, cum nihilominus sint quam sancti, docti, fortes, prudentes. Idem studium in aliis sanctis fuit. Gregorius Turonensis Episcopus, cum multa per eum Deum miracula facere animadverteret, semper sanctorum reliquias collo circumferrebat, eo fine, ut quoties divina virtus aliquid per eum gessisset, non suis meritis, sed virtuti reliquiarum, quas circumferrebat, tribueretur. Sed in hoc genere excelluit s. E. I. Noviomus. Episcopus, vir nobilitate, eruditione, ac pietate celeberrimus. Mendicis quidam coctus a s. Eligio, adhuc laico nobilis, sed vulgi opinione, viro sancto, elemosynam accepturus, manum subtraxit, orans ut oculis potius eius crucis signum imprimeret, visumque praeretur: cui ille dissimulans, ac subridens: *tu, inquit, amice, ne dum nosti te signare? docebo te: moxque signum crucis imprimens, illius oculis aperuit, totumque hominis illius fides tribuendum asseruit. Idem, quum pauperem, aridam manum habentem, et elemosynam petentem, arrepta arida ma-***







tanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quodque est partitus alicui? Denique et facta est, inquit, laetitia magna in populo, laetitia, non gloria, quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quominus et ipse debeat gloriam singulariter? solus cuncta creavit, solus de hoste triumphavit, solus captivos liberavit, et socium habebit in gloria? quia ergo mihi cum victoria, si nec in praelio fui? impudentissime mihi arrogo, vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. Sed suscipite montes pacem populo, pacem suscipite nobis, non gloriam, ipsi soli etiam servantes, qui solus et pugnavit, et vicit: ita quae, ita sit gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis: at vero non bonae, sed plane iniquae voluntatis, qui nequaquam pace contentus superbo oculo, et insubili corde, inquietus anhelat ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens: et nonnullis interiectis sic loquitur: Erant ergo vani filii hominum mendaces, et decipiant ipsi de vanitate in idipsum: nam sapiens gloriator probavit opus suum, atque ad laudem veritatis diligenter examinavit, et sic habebit in semetipso gloriam, et non in ore alterius. Stultus sum, si cistellae laborum tuorum gloriam meam credidero, et caepero mendicare eam abs te, cum habere voluero. Retineo gloriam meam penes me, et ei repono serendam, qui potens est depositum meum servare in illum diem, iustus iudex, cunctis in custodiendo, fidelis in restituendo: securus tunc erit utique laus a Deo, his dum laetant, qui humanas laudes contempserint; nam gloria in confusione eorum, qui terrena sapient, dicens enim David, qui hominibus placuit, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Fratres, si haec scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non refereris, ipsi furaris: tibi enim unde gloria putridae pulvis? de vitae sanctitate? sed spiritus est, qui sanctificat, non tuus, sed Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum, et bene forte depraeserit? sed Christus donavit os et sapientiam: nam lingua tua quid nisi calamus scribae? et hoc ipsum mutuo accepisti: latentem creditum est rependum cum usura, si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies.

Divus Augustinus (lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 4) sic loquitur: Cordis mundatio est tanquam oculus, quod videtur Deus, cuius simpliciter habendi tantam curam esse oportet, quantum eius rei dignitas flagitat, quae tali oculo conspici potest: hinc tamen oculo magna ex parte mundatio difficile est non surripere sorde aliquas de his rebus quae ipsas nostras bonas actiones comitari solent, veluti laus est humana: siquidem non recte vivere perniciosum est, recte autem vivere, et nolle laudari, quid est aliud, quam inimicum esse rebus humanis? quae utique tanto sunt miseres, quanto minus placeat recta vita hominum: si ergo inter quos te recte vivere non laudaverint, illi in errore sunt; si autem laudaverint, tu in periculo, nisi iam simplex cor habueris, et mundum, ut ea, quae recte facta, non propter laudes hominum

facias, magisque illis recte laudantibus gratuleris, quibus id, quod bonum est placeat, quam tibi: nisi quia recte visis, etiam si nemo laudaret, ipsamque laudem tuam tunc intelligis utilem esse laudantibus, si non te ipsum in tua bona vita, sed Deum honoret: cuius sanctissimum templum est omnis, qui bene vivit. Qui autem bonitatem simulat, duplici corde sunt: non ergo habet simplex cor. id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, et illum solum intuetur, cum recte vivit, et ei placere nititur, qui conscientiae solus inspector est. De cuius conscientiae puritate quidquid procedit, tanto est laudabilius, quanto humanas laudes non desiderat; haec divus Augustinus; qui etiam (libro soliloquiorum) haec valde observanda scripsit: Aperuisti mihi oculos lux, et excitasti, atque illuminasti me, et vidi, quoniam tentatio est hominis vita super terram, et quod gloriam non valeat ante te omnia carere, quia si quid boni est parvi, vel magni, donum tuum est, et nostrum non nisi malum est. Unde gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? haec non est gloria, sed miseria. Sed, nunquid de alieno? tuum Domine est bonum, tua gloria: qui enim de bono tuo gloriam sibi, et non tibi quaerit, hic fur est, et latro, similis diabolo, qui enim laudari vult de tuo bono, et non quaerit in illo gloriam tuam, sed suam, hic, licet propter tuum donum, laudatur ab hominibus, et tamen vituperatur, quia de tuo dono non tuam, sed suam gloriam quaesivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defenditur ab hominibus, iudicante te, neque liberabitur, condemnante te. At tu Domine, formator meus ex utero matris meae, non me sinas cadere in illam reprobrationem, ut reprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam: tibi enim sit gloria, cuius est omne bonum; nobis autem confusio faciei, et miseria: quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri: haec ille.

Idem d. Augustinus (epist. 46. ad Aurel. Ep.) ait: Qui laudatur, minus sibi assumere debet, quam offertur: sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, et id quod accipitur laudis, aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, et humana contemnere, sed propter illos accipitur, quibus consulere non potest, si nimia dilectione visent: ad hoc enim pertinet, quod dictum est: Nemo adolescentium tuam contemnat: cum hoc ille dixerit, qui alio in loco ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: magnum est de honoribus et laudibus hominum non laetari, sed omnem pompam inanem praecedere, et siquid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutem conferre. Non enim frustra dictum est: Deus confringet ossa eorum, qui hominibus placent, et placent volunt; quid enim languidus, quid tam sine stabilitate, et fortitudine? quod ossa significant, quam homo, quem male loquentium lingua debilitat, cum se talis falsa esse, quae dicuntur, cuius rei dolor nullo modo animae visceribus dilaniaret, si non amor laudis ossa eius confringeret. Mecum considera, quam sint gravata, quam difficilia, quae dico, non enim huius hostis visceres sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia

etsi cuiquam facile est, laude carere, dum denegatur, difficile tamen est, ea non delectari, cum offertur: et nihilominus tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non merito laudemur, corrigamus eos, quos possumus, ne arbitrentur, aut in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est, aut ea laudent, quae quercis sint in nobis, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quae vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus: si autem merito laudamur propter Deum, gratulemur eis, quibus placet verum bonum; non tamen pro his, quia placeamus hominibus. Sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, et non tribuitur nobis, sed Deo; cuius dona sunt omnia quae vere, merito laudantur. Haec mihi ipse canto quotidie, et tamen vehementer cum adversario dimicans, saepe ab eo vulnera capio, cum oblectationem oblatas laudis mihi auferre non possum.

Divus Gregorius (l. 2. Moral. cap. 5), exponens illa verba, si vidi solem, cum fulgeret, haec valde notanda, ac tanto Pontifice digna scripsit: Sciendum est, quia, ne immoderatis laudibus erigatur, plerumque miro rectoris nostri moderamine, etiam detractioibus lacerari permittitur, ut, cum nos vox laudantis elevat, lingua detraherentis humiliet; quia, et arbor saepe, quae unius venti impulsu ita impellitur, ut pene iam erui posse videatur, alterius et diverso ventis statu erigitur, et quae haec ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad statum redit. Unde et illa arbor alte radicata, quasi inter adversantes ventos flata steterat, quae dicebat: Per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam; et laetatum est in abscondito cor meum: quia attestatio quid nobis immittit, nisi, quod magno metu et circumspeditione opus est, ne mens nostra unquam de suis laudibus vel tacite laetetur; quarevis nonnullam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudent, sed, cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant, non iam de opinione sua, sed de proximorum gaudent utilitate: quia aliud est favores querere, et aliud de profectibus exultare. Cum humanae linguae attestatio laudamur, occulta pulsatione requiruntur, quid de nobis ipsis sentiamus, ut in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens, etiam cum de falsa bona dicuntur, exultat, quia non videt Deum, qualiter vivat, sed apud homines, qualiter imitetur, excoquit. Iudicium enim de se omnipotentis Dei despiciens, et solummodo hominum quaerens, inter quidam laudes extollitur, et quae hoc solum quaesierat, quasi de bono operis laetatur. At contra, si cor veraciter humile est, bona, quae de se audit, aut minime recognoscit, et quia falsa dicuntur, metuit; aut certe, si adesse ea sibi veraciter sciat, eo ipso formidat, ne ab aeterna retributione Dei sint perditas, quo haec considerat hominibus dirigata, paratque vehementer, ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris: quae ex re agitur, ut electorum animus magna laudum suarum igne crucietur: cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, in quibus laudatur, et non sunt, maris Dei iudicium incenat; aut de his, in quibus laudatur,

CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. III.

et sunt, competens praemium perdat. Unde bene per Salomonem dicitur: Sicut probatur in confessorio argentum, et in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis: argentum quippe, vel aurum, si reprobum est, igne consumitur; si vero probum, igne declaratur; sic mirum est, et sensus operantis; nam qualis est in eo, quod laudatur, ostenditur: si enim se auditus suis laudibus extollit, quid est aliud, quam aurum, vel argentum reprobum fuit, quem undelict fornae linguae consumpsit? si autem favores suos audiens, ad superni iudicii considerationem redit; ac ne de his apud occultum arbitrium graver metuit, quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis crescit; et unde incendium trepidationis sustinet, inde clarus effugit.

Idem sanctus Gregorius (hom. 32. in eang. to. 3) dicit: Ipsi virtutibus quaedam vitia mixta, et inuncta sunt: et viciniae namque abstinentiam carnis nonnunquam vana gloria obsidet, quia, dum tenuitas in corpore, dum pallor in cultu respicitur, virtus patet facta laudatur; et tanto se ceteris foras fundit, quantum ad humanos oculos pro ostensum pallorem exit; et plerumque fit, ut hoc, quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur, quod bene Simon ille significat, qui inventus in itinere, crucei dominicam in angaria portat: aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designatur, nisi abstinentes, et arrogantes; qui per abstinentiam quidem carnem affligunt, sed fructum abstinentiae interius non requirunt. Crucei ergo Domini in angaria Simon portat, quia, cum ad opus bonum ex bona voluntate non eductur, rem iusti sine fructu peccator operatur. Unde idem Simon crucei portat. Sed non moritur, quia abstinentes, et arrogantes per abstinentiam quidem corpus affligunt, sed per desiderium vanae gloriae mundo vivunt; haec ille.

Idem s. Gregorius exponens illa verba: Ionathas extendit summitatem virgae, quam habebat in manu, et intinxit in favo mellis, et convertit manum suam ad os suum; et illuminati sunt oculi eius, sic habet: Quid est, virgam extendere, et manum ad os cum melle revocare, nisi, tam de praedicationis verbo, quam de studio boni operis, vanae favoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgae mel levare dicitur: virgam quippe, et manum mellem plenam ad os convertunt, qui inacta veritatis voce omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus: dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgae, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem; haec ille.

Ac tandem sanctus Iacobi Climacensis (in sua schol. spirit. grad. 21) inquit: Inanis gloria est laborum dissipatio, sudorum perditio, thesaurus in fidei perditione, avaritia, superbiae praecursor, in portu naufragium, in area formica, quae et tenuis est, laboriosus tamen omnibus, et fructibus insidiatur. Expectat formica, dum perfricatur triticum, cenodoxia vero dum congregatur opes, gaudet illa, ut dissipet; haec autem, ut fruatur; gaudet desperationis spiritus, cum videt multum



uplicari vitia, cenodoxia vero, cum virtutes multiplicari videt: prioris inania, multitudo vultu: secundae vero deicitiae laborum. Observa diligenter et usque ad mortem, et sepulcrum inuenies, hanc nefariam labem quotidie vestibus, unguentis, pompis, aromatibus et aliis florere. Lucet omnibus affatum sol, omnibusque studiis cenodoxia ad gaudet, verbi gratia: ieiunio inaniter glorior, latendi causa sobrio ieiunium, tanquam prudens iterum glorior: si splendide vestior, vincor ea peste: si vilis induor, denuo glorior: si loquar, hac superior, si taceam, rursus superatus sum; quocumque hunc tribunal ieceris, erecto perstat aculeo. Eiusmodi vero gloriosus est fidelis idolorum cultor, qui Deum quidem colere, et venerari videtur, hominibus vero, non Deo placere studet; haecenus s. Climacus.

Idem s. Ioannes Climacus (in eod. grad.) ait: Nolavit quidam ex his, qui videre acutus poterant, narravitque, quid viderat. Cum sederem, inquit, in coetu quodam aduenientes ad me cenodoxiae, et superbiae daemones, iuxta me, ex utraque parte sederunt, et unus quidem ex his digito illo suo vanissimo pulsavit latus meum, hortans, ut aliquid, quod ad contemplationem pertineret, sive opus quolibet in deserto a me gestum loquerer; quem cum a me repulissim, dicens: Converterant retrorsum, et erubescant, qui mala mihi cogitant, protinus is, qui a sinistris erat, ad aurem mihi dixit: eia bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui impudentissimam matrem meam viceris; ad quem ego rite sequentes versus resumens, dixi: Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge bene fecisti; haec s. Ioannes Climacus, quibus et gloriam hominum fugendam, Christi vero solum quaerendam docet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XX.

Prosequitur idem argumentum adversus inanis gloriae appetitum, cuius gravitatem, et stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra Scriptura, quam ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptum copia palam demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.

Quemadmodum Christus Dominus, id referente d. Matthaeo (cap. 14), auditis illis verbis: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te, ex illis occasionem arripuit docendi audiores, omnem carnis, et propinquitatis affectum longe esse propulsandum, maxime cum impedit, quae Dei sunt praestare: sic enim respondit: Quae est mater, et qui sunt fratres mei? quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est; ita nunc auditis verbis humanae laudis, quae mulier illa protulit: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae su-

asti, asperiores illam responsum dedit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, ut auditores exemplo suo doceret, humanis laudibus non libenter aures esse accommodandas, sed fingendas potius, et refundandas. Sane inter alia pleraque, quae humanae laudis effraemum appetitum compescere debent, illud maximi ponderis iudico, quod, qui laudem humanam suorum operum aucupatur, divinae gloriae acrilegus fur, et iniustissimus depraedator efficitur, d. Augustino (lib. soliloq. cap. 13) dicente: Tuum, Domine, est bonum, tua gloria; ideoque qui de bono tuo gloriam sibi quaerit, et non tibi quaerit, hic fur est, et latro, et similis est diabolo qui voluit furari gloriam tuam. Equidem cum laus, et gloria non debeatur nisi bono, et omne bonum desursum sit, descendens a Patre luminum, ipsi debetur laus, et gloria, non nobis. Unde, qui illam sibi usurpat, fur est, et latro divinae gloriae. Divus Paulus (ad Philip. cap. 2) ut explicaret, omnium honorum nostrorum operum Deum esse auctorem, dixit: Ipse est qui operatur velle, et perficere pro bona voluntate sua. Mos est sacrae Scripturae, ut cum vult aliquid plene comprehendere, extrema illius exprimat, ut sub illis intermedia complectatur, sicut cum dixit Moyses (Gen. 1): In principio creavit Deus coelum et terram, plane significavit, non solum illa, sed omnia intermedia creata fuisse a Deo, ut adnotarunt d. Chrysostomus (homil. 2. in Genes.), et d. Augustinus (lib. 2. contr. Manich. cap. 3); et Christus Dominus ad exprimendam plenam potestatem, quam super omnem creaturam acceperat, dixit (Matth. 28): Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Quibus plane indicavit, etiam ea, quae interiacent inter coelum et terram suae potestati subesse. Certe velle et perficere duo extrema sunt, inter quae totius boni operis structura continetur, cuius principium est velle, finis est perficere; quare dicere voluit, Deum totius nostri boni operis esse auctorem, et nihil esse in eo, quod non Deus ipse in nobis pro bona sua voluntate operetur. Dixerat Isaias (cap. 26), Deum operari in nobis omnia nostra opera. Apostolus tamen non solum hoc dixit, sed addidit, ita omnia opera nostra in nobis operari, ut quicquid bonum est, in unoquoque eorum operetur; non quod homo sit tanquam inanimatum organum, ut haeretici contendunt, sed quia ab ipsius Dei virtute, et auxilio procedit quicquid est boni in opere, quod homo operatur; quod et David dixit illis verbis, quae s. Patres sacraeque observant Concilia: Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Habet homo potentiam aut virtutem bene operandi, sed huic virtuti Deus dat virtutem, sine qua nihil penitus operabitur: habet cornu fortitudinis, id est, potentiam liberi arbitrii, quam nemo cogere potest; nisi tamen cornu hoc exaltetur, hoc est, nisi potentia, et facultas liberi arbitrii supernaturali Dei auxilio elevetur, neutrumque minimum etiam opus meritorium elicere valebit.

Quam autem sollicitus zelator sit Dominus gloriae suae, praecclare mihi indicasse videtur

(Exod. 30) per suavissimum odorem thymiamatis, quem sibi soli reservari praecepit. Sume tibi, inquit ad Moysen, stactem, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum, aequalis ponderis erunt omnia, faciesque thymiamatum purum, et sanctificatione dignissimum, id est, quod Deum deceat, aptumque sit ei offerri, et illo subfamigare sanctum sanctorum, erit vobis thymiamatum, id est, sanctissimum, purissimum, Deo soli reservatum. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino, id est, quia Deo ipsi consecratum, et dicatum. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populis suis. Per thymiamatum igitur ex omnibus aromaticis speciebus compositum, omnium virtutum operationem intellexit: nec enim contentus est Deus, si unam solummodo teneas virtutem, qui te in omnibus perfectum exposcit, et idcirco, ut d. Basilius adnotat, eas aromaticas species expressit, quae universa continue videntur: quatuor enim species aromaticae, ex quibus componendum erat thymiamatum, ad quatuor referuntur elementa, ex quibus omnia componuntur, quorum singularem tenet similitudinem. Stactem namque refertur ad aquam, quia est recentis myrrhae incisae pinguedo cum aqua expressa, aut, ut alii volunt, gutta, quam arbor quaedam aromatica distillat. Onyx ad terram ob retortidam ariditatem. Galbanus ad ignem, propter calorem praefervidum. Thus vero aere representant, quod transparentis sit, et dilucidus perspicuitatis. Quod Deus sibi reservat, est suffimentum aut odor, ex his speciebus aromaticis coarsurgens. Ex virtutum namque universalium operibus inter se commixtis, quando scilicet ieiunium est humile, misericors, et orationi coniunctum; quando oratio est copulata ieiunio, misericordiae, et humilitati; quando humilitas secum tenet orationem, et misericordiam, ut d. Ambrosius (lib. 5. in Luc. in illud: Beati pauperes), d. Augustinus (lib. 6. de Trinit. cap. 4), ac d. Gregorius (lib. 22. Mor. cap. 1) loqui solent, quorum doctrinam excellenter d. Thomas explicat (1.2. quaest. 65. art. 1), ex quibus consurgit odor suavissimus, aut suffimentum laudis, honoris et gloriae: hoc Deus sibi ita reservat, ut prohibeat dicens: Talem compositionem non facietis in usus vestros, id est, ad vestram gloriam, et honorem, quia sanctum est Domino, id est, Deo dicatum, et debitum; ideoque homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populis suis. Pereat Lucifer, et aeternae perditioni tradatur, quia odore virtutum, donorum, et gratiarum, quibus fuit ornatus, profraui voluit, gloriam et honorem inde procedentem sibi aucupari volens: cui dictum est, ut sanctus Thomas explicat, elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram proiecti te. Pereat rex Tyri, qui gloriam, et honorem, quem in Deum referre debebat, propter divitias, et potentiam, quibus fuit donatus, in suum voluit usum convertere, cui dictum est, eo quod elevatum est cor tuum, quasi cor Dei, id est, intendens gloriam, quae tantummodo Deum decebat, idcirco ego adduceam super te alienos robustissimos, qui ita

terficient te. Pereat Herodes, qui splendore regio fulgens, gloriam ab adulatoribus sibi delatam, quam Deo teubatur servare, acceptavit; ideo percussus ab angelo exspiravit, de quibus supra. Expendit s. Ioannes Chrysostomus iustam regis Oziae percussorem, quem Deus insaniabilis lepra percussit, ex qua mortuus fuit. Vere enim rex digna est graudi animadversione. Fuit Ozias, quem aliquando Scriptura Azariam vocat, rex, qui fecit quod rectum erat in oculis Dei, cumque requireret Dominum, direxit eum Dominus in omnibus, unde insignes comparavit victorias, resque grandes fuit adorsus. Hinc egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborearet illum. Nihilominus percussit eum Dominus: oratio est enim lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini, super, id est, iuxta altare thymiamatis; et sacerdotibus festinatio explerent eum, et fuit leprosus usque in diem mortis suae. Inquiret divus Ioannes Chrysostomus, cur tam grande supplicium intulerit Deus regi, qui fecerat, quod rectum erat in oculis eius; tandem docet, rationem fuisse eam, quam ipsamet Scriptura sacra expressit: quia sibi voluit arrogare gloriam, et honorem, non Deo ipsi, sed eius sacerdotibus reservatum circa thymiamatis suffimentum, aut oblationem: hoc enim coram Deo offerre, et incendere solis sacerdotibus volebat Deus esse concessum. Cum autem Ozias roboratus esset: Elevatum fuit cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum: ingressus enim templum, voluit adolere incensam super altare thymiamatis. Si ergo eo solum, quod hic rex sibi usurpare voluit, quod ad solos sacerdotes pertinebat, scilicet offerre Deo thymiamatum, ita acriter Deus illum punivit; dubium non est, quod acerbior poena illum plecteret, si odorem Deo soli reservatum sibi usurpare voluisset. In hoc sane peccati genus incidit, qui cum bona opera operentur, contendunt odorem laudis ex eis procedentem in se ipsos convertere, gloriam Deo debitam tyrannice sibi arrogantes: nam sic divus Paulus, cum diceret (2. ad Corinth. 2): Christi bonus odor sumus Deo: ecce odorem bonorum operum non sibi arrogabat, sed Deo deferbat. Diaboli proprium est, quae gloriam velle capere: ille enim qui quasi praedator in via ex primordiis suae conditionis voluit Dei gloriam sibi usurpare, et nunc opera bona, quae in Dei obsequium fieri conspiciunt, totis viribus furari conatur, excitando desiderium, et appetitum inanis gloriae, auferendo ab ipsis insignem, quod ille servari vult illaesaum, soli Deo honor et gloria; ita multa bona, quae operatur fuerat Pharisaeus ille, de quo Christus Dominus loquitur, rapuit, idque illi conveniri potest, quod s. Iacob dixit de Dan (Gen. 49. 18): Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro. Omnibus ambulantibus in via huius vitae se exponit diabolus, tanquam coluber, eo modo, quo primis parentibus nostris, suadens, Dei mandatum contemnere, terrena appetere, et in vitium ligum manum mittere.